

ex eo quod suppositum Verbi fuit ante mundi constitutionem, quamvis non fuerit pro tunc ipsa humanitas, est verum dicere: Hic homo, demonstrato Christo, creavit mundum; ergo eadem ratione, qua natura humana commisit peccatum in proprio supposito ante assumptionem, potuit dici: Hic homo, demonstrato Christo, peccatum commisit, si quidem idem homo est, sive humanitas sit in isto, sive in illo supposito.

XLIV. Confirmatur secundo, quia in intellectu illius humanitatis existentis in proprio supposito reperiri potuit iudicium practicum efficax alicujus peccati, verbi gratia, mendacium est dicendum, et illud præcipere voluntati, et in illo instanti in quo voluntas consentire vellet, potuit assumi a divino Verbo; sed dari non potest, quod stante iudicio practico efficaci ex parte intellectus voluntas non assentiatur; ergo posset jam voluntas naturæ assumptæ velle efficaciter mentiri.

XLV. Nec sufficit dicere, quod in instanti assumptionis naturæ humanæ a Verbo jam destrueretur illud iudicium ex parte intellectus. Non inquam sufficit, quia ad hoc ut voluntas illud exequatur non est necessarium, quod simul in eodem instanti sint, sed sufficit, quod toto tempore antecedenti consensum voluntatis fuerit, ut in nobis contingit; prius enim intellectus imperat, et postea voluntas consensum præbet.

XLVI. Ad tertium argumentum respondetur negando minorem, et ad probationem dico, quod magis repugnat peccatum cum gratia unionis, quam cum gratia habituali, quia licet peccatum non opponatur proprie loquendo contrarie, aut privative ipsi gratiæ unionis, quia est suo modo substantia, cui nihil est contrarium, nihilominus

quia gratia unionis ipsam humanitatem facit personaliter gratam, repugnat quod in natura, quæ tali personalitate subsistit, reperitur peccatum, quia illa operari non posset sine concursu talis suppositi.

XLVII. Ultra hoc autem reperitur differentia inter gratiam unionis et gratiam habituales, quod gratia habitualis non constituit suppositum, sed advenit supposito jam constituto, et ita non facit hominem gratum personaliter, sicut gratia unionis, et ideo non est necessarium, quod omne opus hominis iusti, præsertim in hac vita, tribuatur ipsi gratiæ habituali, ita ut ab ipsa originetur, ut patet manifeste in peccato veniali, quod a gratia habituali non oritur, sed a supposito operante præter regulas divinæ legis. At gratia unionis cum constituat suppositum est principium omnium operationum naturæ suppositæ, quare cum omnino repugnet a tali supposito procedere opus aliquod inordinatum, aut contra rationis regulam ob istam causam, talem habet gratia unionis oppositionem cum peccato, quod in casu argumenti, eo ipso quod natura illa assumeretur a Verbo, mundaretur omnino a qualibet culpa originali, aut mortali, sive habituali, et personaliter grata Deo remaneret.

XLVIII. Ad primam confirmationem respondetur negando antecedens, et ad probationem dicimus, quod ista propositio: Hic homo, demonstrato Christo, aliquando commisit peccatum, esset falsa etiam in casu argumenti, quia peccatum illius naturæ commissum fuit ab altero supposito, in quo antea natura illa fuerat. Non est autem simile de altera propositione: Hic homo, demonstrato Christo, creavit mundum, quia hæc verissima est, eo quod illudmet suppositum, quod

modo subsistit in natura humana est, et fuit quod creavit mundum.

XLIX. Ad secundam confirmationem respondetur, quod in instanti assumptionis humanæ naturæ a Verbo destrueretur iudicium illud, quod toto tempore præcedenti extiterat in intellectu illius naturæ, et sic voluntas illud non sequeretur. In nobis autem non sic contingit, quia eo ipso, quod præcessisset tale iudicium efficax non retractatum, sequeretur illud voluntas naturaliter, quia nobis non repugnat peccatum, cum autem Christo repugnet, nec in voluntate humana prava aliqua affectio, nec in intellectu humano pravum iudicium reperiri potest.

L. Excluso jam peccato a Christo Domino inquirere opus est, an sit in illo aliqua inclinatio ad illud ex parte sensitiva, unde subditur.

ARTICULUS II.

Utrum in Christo fuerit fomes peccati?

I. Conclusio est negativa. Ut littera hujus articuli intelligatur, necessario præsupponendum est prius quid sit fomes peccati, ut inde determinemus, an fuerit in Christo, vel non. De hac re Durandus in III, dist. III, quæst. III, num. VI, asserit fomitem peccati nihil aliud esse, quam ipsemet appetitus sensitivus: quare affirmat se nullatenus intelligere quomodo manente appetitu sensitivo possit fomes peccati auferri.

II. Et probari potest hæc sententia, quia fomes peccati vere dicitur esse in pueris ante usum rationis, et in hominibus dormientibus; sed in istis nihil potest excogitari, quod sit fomes peccati, nisi ipse appetitus

sensitivus vehementer inclinans ad bonum sensibile, cum in eisdem non reperiatur rebellio talis appetitus contra rationem; ergo fomes peccati solum est ipse appetitus sensitivus.

III. Hæc tamen doctrina Durandi nullatenus sustineri potest, quia si fomes peccati non esset aliud, quam appetitus sensitivus, necessario concedendum esset fomitem peccati fuisse in Adamo in statu innocentiae, et semper fuisse in Beatissima Virgine, et in beatis, et quod majus est etiam in Christo Domino: consequens autem est valde absurdum; imo loquendo de Christo videtur erroneum, ut constabit ex dictis infra; ergo, etc. Sequela probatur, quia in omnibus annumeratis in antecedenti negari non potest, quod sit appetitus sensitivus.

IV. Et confirmatur hoc ipsum, quia alias sequeretur fomitem peccati non esse effectum peccati originalis, sed proprietatem naturæ, quia appetitus sensitivus proprietas naturæ humanæ est. Consequens autem est contra doctrinam Concilii Tridentini sessione V, canone V, ubi expresse dicitur fomitem esse ex peccato originali, et ad agonem relinqui in hominibus baptizatis. Sententia ergo Durandi nullatenus sustineri potest. Unde ad ejus fundamentum respondetur fomitem esse in pueris ante usum rationis, et in dormientibus, in quibus non tantum non est appetitus sensitivus, sed etiam privatio justitiæ originalis, atque adeo in illis est fomes peccati in actu primo, et quidem fomes magis proprie accipitur pro concupiscentia habituali, quam actuali, juxta doctrinam D. Thomæ infra quæstione XXVII, articulo III.

V. Alii autem theologi, quos adducit Suarez disp. XXXIV, sect. V, affirmant peccati fomitem esse morbidam quamdam qualitatem supe-

radditam ipsi appetitui, qua inclinatur ad id, quod est contra rationem, et aliquando trahit voluntatem ad consensum illius. Et hæc positio fundatur in doctrina Concilii Tridentini supra relati, ubi expresse dicit Concilium: « Concupiscentiam fomitis peccati esse ex peccato originali, et ad peccatum inclinare: » sed inclinatio ad peccatum non est nisi per aliquam qualitatem, seu habitum; ergo necessario est superaddenda ipsi appetitui sensitivo. Probatur consequentia, quia in ratione naturæ præcise sumptæ non est aliqua naturalis inclinatio illa de qua Concilium loquitur, debet esse aliqua morbida qualitas superaddita ipsi appetitui sensitivo.

VI. Sed etiam positio istorum omnino falsa est, et absurda, quia talis morbida qualitas concreari non potuit cum ipsa anima, alias refunderetur in creatorem, neque etiam produci potuit ex vi contractionis peccati originalis, quia imaginari non potest aliqua virtus physica proveniens ad Adamo, et causans modo physicam illam qualitatem. Ac denique hæc sententia impugnatur eisdem rationibus, quibus alia asserens, quod peccatum originale est morbida qualitas; de qua inter alios legatur Vazquez 1-2, disp. cxxxii, cap. iv.

VII. Ad fundamentum talis sententiæ respondetur satis apertam esse ibi mentem Concilii, nec in illo fundari potest talis opinio: non enim inclinatio ad peccatum est per aliquod superadditum ipsi appetitui, sed quia ex peccato originali deperdita fuit justitia originalis, quæ appetitum rectificabat, et concordem faciebat rationi, et per ablationem ejus remansit pronitas ad malum in nobis, et difficultas ad bonum sine qualitate noviter superaddita.

VIII. Vera igitur sententia est, quam colligunt discipuli D. Thomæ, ex hoc articulo in corpore, videlicet, quod fomes peccati supponit pro appetitu sensitivo, nempe pro irascibili, et concupiscibili, non quomodocumque, sed quatenus possunt appetere aliquid sine subjectione ad regulam rationis, quæ privatio subjectionis provenit ex defectu justitiæ originalis. Hoc videtur docere expresse D. Thomas in ii, distinct. xxxii, quæst. i, art. i in corpore, ubi ait: « Quod fomes peccati supra principia naturalia nihil positivum supponit in homine, sed in solo defectu originalis justitiæ consistit; » et ibi distinctione i, quæst. i, art. i ad primum, dicit: « Quod deformitas culpæ opponitur originali justitiæ quoad rectitudinem voluntatis; fomes autem peccati quoad rectitudinem virium inferiorum; » imo hoc ipsum docere videtur Concilium Tridentinum illa sessione v, canone v, ubi docet: « Quod fomes peccati ex originali peccato provenit propter defectum justitiæ originalis, et quod ad peccatum actualiter inclinatur: » ubi obiter advertendum est, non esse mentem Concilii docere, quod fomes peccati inclinatur formaliter ad peccatum, sic enim peccatum esset; cujus oppositum docet Concilium inquiring: « Fomitem non esse peccatum, neque actum ipsius imputari ad culpam his, qui viriliter resistunt. » Est ergo mens Concilii asserere, quod fomes inclinatur ad peccatum materialiter, quia fomes tendit in illud objectum, cui si accedat consensus voluntatis erit peccatum formaliter, quia fomes tendit in illud objectum cum privatione subjectionis ad regulam rationis, quæ subiectio fiebat ab originali justitia.

IX. Ex his sequitur, quod fomes peccati duo importat, et difficultatem in bono, et ad malum inclina-

tionem; sic asserit D. Thomas infra quæst. xxvii, art. iii. Et ratio est, quia ablata justitia originali non habet in homine ratio superior virtutem refrænandi totaliter vires inferiores, ut ait D. Thomas quæst. iv de malo, art. vi ad sextum decimum. Et ex hoc provenit pugna carnis contra rationem, quam D. Paulus sentiebat dicens: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Videatur D. Thomas 1-2, quæst. cxxi, art. vi. Talis autem fomes non esset in homine si crearetur in puris naturalibus, ut recte docuit magister Soto lib. i de natura et gratia, cap. xiii, et magister Medina in præsentia, quia fomes peccati non importat quamcumque inordinationem appetitus, sed illam, quæ ortum habuit ex defectu justitiæ originalis, et a fortiori fomes non esset in habentibus originalem justitiam, nec in beatis. His ergo suppositis sit

ARTICULUS III.

Utrum in Christo fuerit, vel esse potuerit fomes peccati?

I. Pro luce hujus difficultatis advertendum est, quod fomes peccati potest considerari dupliciter, et in actu primo, videlicet, secundum quod dicit potentiam ad habendum actum rationi difformem; et etiam in actu secundo, videlicet secundum quod dicit actum ipsum rationi contrarium; et de utroque inquirimus in præsentia. Supponendum etiam est non esse idem habere actum fomitis, et habere actum appetitus sensitivi, videlicet irascibilis, et concupiscibilis; actus enim harum potentiarum de facto fuisse in Christo non vertitur in dubium: de actu vero fomitis diffi-

cultas est, quam jam determinamus.

II. Prima conclusio: In Christo Domino non fuit de facto fomes peccati consideratus in actu secundo. Hæc conclusio certissima est; opposita videtur erronea, et probatur innumeris auctoritatibus sanctorum patrum, quæ videri possunt apud interpretes D. Thomæ, præcipue apud Suarez disp. xxxiv, sect. i, concl. iii, et apud Vazquez disp. lxi, capite viii, inter alios autem notetur D. Augustinus libro ii contra duas epistolas Pelagianorum, cap. xi, post medium, ubi ait: « Quam spiritui resistentiam non habere in carne mortali ille tantum homo potuit, qui non per ipsam ad homines venit. »

III. Deinde probatur ex Concilio quinto generali, quod dicitur Germanum, act. viii, can. xii, ubi damnatur Theodorus Mopseutonsis, eo quod dixerit: « Alium esse Dei Verbum, et alium Christum a passionibus animæ, et desideriis carnis molestias patientem; » ubi non solum damnatur in Theodoro, quod dixerit alium esse Dei Verbum, et alium esse hominem Christum, sed etiam quod dixerit hominem Christum molestias carnis passum fuisse: erit ergo error asserere oppositum. Hoc ipsum diffinitur in sexta Synodo generali, actione xi, in epistola Sophronii.

IV. Probatur etiam ratione, quia actus fomitis inclinatur ad peccatum actuale, ita ut si tali motui consensus voluntatis accedat erit peccatum; ergo cum Christo Domino peccatum repugnet, et repugnabit etiam via, et tendentia ad ipsum; præcipue cum nullus actus sensitivi appetitus in Christo fuerit repertus, qui non fuerit voluntarius, ut constat ex Synodo citata, et ex doctrina sanctorum patrum; atque adeo si reperiretur actus fomitis volunta-